

VERSIONES.

Syriac. n. 24. Scio resurrectionem in consolatione (resurrectione) die illo nouissimo.

Syriac. n. 25. Dixit ei Iesus : Ego sum consolatio (resurrectio) & vita.

Græcus apud Toletum. Ego sum ipsa resurrectio, & vita.

Arab. n. 26. Et omnis est viuens, qui crediderit in me.

Syriac. n. 27. Etiam Domine mi, ego credo.

Vatablus. Ego credo te esse Christum illum Filium Dei, qui in mundum venturus erat.

Græcus. Qui est veniens in hunc mundum.

EXPOSITIO VII.



DIXIT EI MARtha: Scio, quia resurget in resurrectione. Christus ambiguit dixerat, resurget frater tuus, & non addiderat modo. Inde occasionem habuit Martha, vt Christi sententiam de communi omnium resurrectione intelligeret; Iudæi enim præcipue Pharisæi credebant animæ immortalitatem, & corporum resurrectionem. Iob. 19. num. 25. & 2. Machab. 12. num. 46. In nouissimo die. In ultimo nempe die iudicii. D. Petrus Chrysologus serm. 65. sic loquitur cum Martha: Martha ante te est resurrectio, quam tam longe mittis. Cur intelligit non de proxima resurrectione, sed de futura in ultimo die, quæ non erit speciale beneficium? vt notat Cornelius à Lapide: Ecce ingenium humanum diuinam beneficentiam velle restringere, & in longinquum velle dilatare.

Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio, & vita. Syrus: Ego sum consolatio, & vita. Ipsa enim resurrectio hominibus in miseria huius vitæ degentibus magna est consolatio, tum animæ, tum etiam sensuum, ac membrorum. Ego sum resurrectio, & vita: non formalis, sed causalis, vt rectè adnotarunt Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonau. Carthusian. Ego sum nempe, qui resuscito, ac vitam do, & communico. Eodem modo dicitur 1. Corinth. 1. Qui factus est nobis iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Hoc est iustificator, sanctificator, & redemptor. Sic ego sum resurrectio, & vita, id est, causa resurrectionis, & vitæ, & earum effectus. D. Augustin. tract. 49. in Ioan. Dicis, ait, resurget frater meus in nouissimo die: verum dicis, sed per quem tunc resurget, potest, & modo, quia ego sum resurrectio, & vita. Deinde subdit Christus Dominus: Qui credit in me. Martha petenti, ac desideranti fratris sui Lazari vitam, respondit Christus, deinde eam ad altiora, ac spiritualia erigit, loquens de noua vita animæ per gloriam in sæculo futuro. Qui credit in me fide viuæ per charitatem formata, dum degens fuit in hoc sæculo, etiamsi mortuus fuerit, temporali morte, viuet. Anima eius semper viuere per vitam charitatis, gratiæ, & gloriæ in Cælo.

Et omnis qui viuere. Supra locutus fuit Christus de

93.

Iob. 19. 2. Mach. 12. Chrysol. Humanum ingenium restringere diuina beneficia Comcl.

94. Syrus.

Alb. Maga. D. Thom. Bonauent. Carthuf. 1. Cor. 1.

August.

95.

de mortuis in eum credentibus; nunc loquitur de fidelibus viuus: Et omnis qui viuere. Qui in hoc sæculo vitam ducit, seu viuens est. Et credit in me: fide viuæ, & formata per charitatem. Non morietur in æternum. Quamuis mortuus sit temporali morte, æterna tamen non morietur; sed ad vitam æternam resurget. Vnde tam credentes in me mortui, viuere, quam credentes in me adhuc viuus, æterna morte non morientur. Declaratque Christus Dominus his verbis se esse fontem vitæ, & resurrectionis, ac proinde credentibus in se resurrectionem cum vita æterna sit largiturus. *Credis hoc?* A Martha flagitat Christus fidem resurrectionis, vt credat, quod non solum precibus possit à Deo eam impetrare, sed etiam per se ipsum donare, vt latius dicam quæstione sequenti, vt ad tantam fidem, & spem Martha excitata valeat fratris suscitationem impetrare: sic à patre postulante filium liberari à Dæmone, Christus exigit fidem, vt crederet se posse hoc facere, omnia possibilis sunt credenti, Marc. 9. n. 29. & à portatoribus paralitici similem requirit fidem, Matth. 9. n. 3.

Christus excitat Martham ad fidem resurrectionis, vt impetret vitam fratris.

Marc. 9. Matth. 9.

96. Chrysol. Euthym. Theophyl.

Arabic. Syriac.

August.

97. Caietan. Carthuf. Iansen. Tolet. Alb. Maga. D. Thom. Lyran. Maldonat. Damian.

QUESTIO XI.

Quare Christus non respondet Marthæ quod possit fratrem resuscitare, vel viuificare, sed quod ipse sit resurrectio, & vita?

98.

DE resurrectione Lazari sermo erat in præfenti, quem dicebat Martha resuscitandum

in nouissimo die. Tunc Christus respondet, quod ipse sit resurrectio, & vita; conuenientius videbatur dicendum, quod ipse poterat eum resuscitare, & viuificare, ad quid tendit Christi responsio?

Supponendum est, quod Christus dicitur causa resurrectionis, & vitæ, ita vt omnes per eum resurgant, & nullus nisi per ipsum valeat in vitam reuocari. Christus autem Dominus quadruplex causa est resurrectionis. Meritoria, efficiens, exemplaris, & finalis. Ipse enim sua morte omnium resurrectionem promouit; eamque physice efficiet in die iudicii, eiusque exemplar dedit in sua gloriosa resurrectione, quæ est finis resurrectionis omnium. Resurgent enim omnes fideles hoc fine, vt Christo resurgenti in gloria conformentur, eumque in æternum glorificent. Si verò resurrectio damnatis cedit in grauem penam, & tormentum, hoc est eorum culpa, nam illa vita perpetua concessa est, vt perfectè in anima, & corpore felices existerent, cum autem malè vixerint, illud optimum verum est in eorum perniciem, & damnum, vt explicat Toletus, ann. 7. ex D. Iustino.

Respondent D. Chrysostom. homil. 61. Theophylact. Euthym. quod Christus Dominus tacite respondet Marthæ dicto dicenti, *Quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus;* quibus verbis Martha suam imperfectam fidem denotauit, illamque Christus perfecit, dicens: *Ego sum resurrectio, & vita.* Chrysol. ac proinde, alterius non egere auxilio indicat, quippe qui vita est. *Quod si alterius indigeret, quomodo ipse resurrectio esset, & vita?* Ac si Christus diceret: *Ego sum resurrectio, & vita.* Ego non ego petere à Deo resurrectionem fratris tui Lazari, quia ego ipse per me eam præstare valeo, sum enim resurrectio, & vita; resurrectio mortuorum; & vita viuentium; mortuus à morte excito, & viuentibus vitam concedo.

Secundò D. Chrysolog. serm. 63. *Quid est, ait, ego sum resurrectio? Et non ego resuscito? Quid est? quia suscepit hominem, suscepit mortem, vt qui resuscitat iubendo vnum, resurgendo in se resuscitet omnes.* Quæ verba multipliciter sunt expendenda. Et primò: *Quid est ego sum resurrectio?* In quibus verbis ostendit virtutem efficacissimam ad suscitandos alios, quia ipse in se suscitandus sit, bene enim demonstratur, quod quis valet alios in vitam trahere, qui prius sciuit ex mortis tenebris se absolueri; prius enim quilibet in se sentiat id, quod in alijs efficere curat. Ait Christus Petrus: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, Luc. 22. num. 32.* Ad orbis conuersionem destinabatur Petrus, non tamen iubetur adire, nisi prius ipse sit conuersus, conuersionemque experiat, non enim aptus est ad orbis conuersionem, ad aliosque in vitam excitandos, nisi ille, qui prius conuersus est, seque ex morte Dei interueniente gratia ad vitam reuocauit. Arnoldus Canno. tract. de Verbis Christi: *Exurge, ait, & bibe de fonte misericordie, & aliquando conuersus confirma fratres tuos, & in eadem mensura, qua propinatum est tibi, remitte eis, & ad formam tuam, qui ceciderit, adiciat, vt resurgat.*

Tertiò. Citatus Chrysologus: *Qui resuscitat iubendo vnum, resurgendo in se resuscitat omnes.* Christus Dominus præcepto suæ vocis vnum Lazarum è morte suscitauit, at exemplo suæ resurrectionis, omnes reuocat ad vitam. Bonus prælatus, & si vnum suo mandato cohibeat, cunctos suis exemplis

99.

Christus quadruplex causa resurrectionis.

Tolet.

100. Chrysol. Theophyl. Euthym.

Christus se ostendit resurrectionis auctorem.

101. Chrysol.

Primo in se quis sentiat: quod in alijs efficere intendit. Luc. 22.

Arnoldus.

102.

Chrysol. Prælatus vni mouens verbo, omnes exemplo in-formet.

Psal. 4. Hebraicus.

90. Math. 9.

Valde difficile peccatorem inueteratum conuertere.

91. Rupert. Maldon. Thren. 2.

Lachryma efficacissima habet vocem.

Paschal.

92.

3. Reg. 21.

Lachryma alium edidit clamorem. Ambros.

Ioan. 11. n. 24.

Num. 25.

Num. 26.

Num. 27.

Tob. 3.

exemplis infortmet. Senior Tobias verbis filio dabit salutaria monita: Audi fili mi verba oris mei, 3. n. 2. At sepeliens mortuos, & iubens reddere furto ablatum, charitate, ac iustitia cunctis erat in exemplum, ait Cardinalis Hugo: Præceptum filium instruebat, exemplo vero cunctos informabat.

Hugo. 1

IO 3. Chrysol.

Quartò. Citat. Chrysol. Ego sum resurrectio, & resurgendo in se resuscitat omnes. Magnus princeps, qui taliter deucta morte seipsum resuscitat, vt etiam à mortis tenebris vniuersos excitet, & reducat. Hæc sunt Dei dona, quæ sic vni dantur, ac communicantur, vt inde in multos deriuentur.

Dei dona sic vni communicantur, vt inde deriuentur in alios. 3. Reg. 19.

Theodor.

Ad parentem Eliam, ait Deus: Vade. Vnges Hazael regem super Syriam, & Iehu filium Namsi vnges regem super Israël: Elifæum autem filium Saphat, vnges prophetam pro te, 3. Reg. 19. n. 16. Ad tres vngendos mandatur Elias; Ipse autem ait textus: Profectus Elias reperit Elifæum filium Saphat arantem in duodecim iugis bouum: cumq; venisset Elias ad eum misit pallium suum super illum. Qui statim relicto bobus currebat post Eliam. Mandatum est Parenti Eliæ, vt tres vngeret, Hazael nempe, Iehu, & Elifæum, & tamen solum dicitur quod Elias vnxerit Elifæum; cur etiam de vnctione aliis impensa non fit mentio? Illa vnctionis gratia à Deo veniebat, ac proinde cum à Deo esset, non poterat in vno sistere, sed inde ad alios transibat, illisque communicabatur, ac proinde cum vnus vnctus proponatur, multi etiam eodem vnctionis dono illustrati censentur. Theodoret. quæst. 58. Si Prophetam vnxit, ait, eos spirituali gratia impertit, ea etiam vnxit alios. Etenim Elifæus spirituali per eum accepta gratia obrulit illis charisima, & spirituali gratia eos impertit.

Ioan. 11. n. 28. Et cum hæc dixisset, abiit, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te.

Num. 29. Illa, vt audiuit, surgit citò, & venit ad eum.

Num. 30. Nondum enim venerat Iesus in Castellum: sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha.

Num. 31. Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia citò surrexit, & exiit, sequuti sunt eam dicentes: quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi.

VERSIONES.

Syriac. n. 28. Abiit vocatum Mariam sororem suam clanculum, & dixit ei: Magister noster venit, & vocat te.

Arabic. n. 29. Vt audiuit, surrexit festinans.

Arias n. 30. Nondum venerat Iesus in vicum.

Syriac. n. 31. Quinetiam illi Iudæi, qui erant cum ea domi, & consolabantur eam, vt viderunt Mariam citò surrexisse, & exiisse, abierunt post eam. Arbitrabantur enim eam abiisse ad monumentum, vt fletet ibi.

EXPOSITIO VIII.



T cum hæc dixisset, abiit, ad vocandam nempe sororem suam, vt statim exprimitur: Et vocauit Mariam sororem suam silentio. Græcè, clam, submissa voce, in aure. Quod sine dubio fecit, vt notatur D. Cyrillus, Leont. Euthym. propter præsentem Iudæos, ne quis eorum audiret, nam si cognouissent, quod Maria exibat, vt occurreret Christo, ait Theophylact. Abissent, & caruisset testibus infigne miraculum. Et Rupertus: Non ignorabant, ait, Martha, & Maria, quia Iudæi eum nuper lapidare voluerant. Ne ergo irreuerentes inimici Magistrum solitis pulsarent iniurijs, vel ne currentes impedimento essent sibi cupientibus eius colloquio frui, silentio sororem suam vocauit. Aitque Martha: Magister, Syriacus, Magister noster adest, gratissimum sanè Mariæ nuntium. Et vocat te, ex quo patet, vt docent D. August. D. Cyrillus, Theodorus Mopsuest. Euthym. D. Bonauent. Beda, quod Christus Mariam vocauerit, licet breuitatis causa hoc Euangelista præterisset, vel, vt inquit Theophyl. D. Thom. Ipsam Christi præsentiam, vocationem Marthæ reputauit. Christi enim præsentia efficaciter vocabat Mariam, sicut amor vocat amantem ad amatum.

Illam vt audiuit. Præsentiam Iesus, & non quaerit à fotore, quid ab ipsa Christus velit, sed cum se vocatam audierit, surgit citò. Statim se in viam dedit, & non præfatur ad eos, qui consolandi causa ad eam venerant, quamuis essent honorati viri; & cur Maria tam inciuilibis Principum personis: cum esset amore vulnerata, statim oblita est vrbauitatis, decoris, & luctus, & cum nacta esset Christi præsentiam, omnia humana, ac temporalia præterit, in vno Christo sibi erant omnia, cui præ omnibus vult honorem impendere. D. Basilius Seleucus serm. 2. de Lazaro: Præcepto presente, ait, humana omnia posthabuit, totaque in vnum hoc incubuit, vt suus Magistro constaret honos.

Nondum enim venerat Iesus in Castellum. Vicum, seu pagum. Significatur, quo Maria venerit; sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha. In illo loco, seu agro vicino expectauit Iesus Mariam, & comites eius. Euthym. Erat adhuc ibi, ait, docens eos, qui secum erant, & docendi prætextu expectabat illos, ne accedere videretur, tanquam gloriam à miraculo captans. Vbiq; Christus suæ modestiæ, & humilitatis dat signa; illa autem mansio Christi extra pagum multos Iudæos conuocauit, coram quibus miraculum factum est, infra num. 42. Deinde mansit in eodem loco, quia Christus disposuerat adire ad sepulchrum Lazari, quod Iudæorum more erat extra pagum, & ideo mansit foras expectans Mariam, quia

IO 4.

Cyrril. Leont. Euthym.

Theophyl.

Rupertus. August. Cyrril. Theodor. Euthym. Bouauent.

Beda.

D. Thom.

IO 5.

Pro Christo, in quo sunt omnia, contemenda.

Basil. Seleuc.

IO 6.

Euthym.

IO 7. Rupert.

Suauitas in fratre apertissima ad diuina dona excipienda.

Euthym.

August.

quia fortè locus ille vicinior erat sepulchro. Nec autè miraculum, cuius gratia venerat, & quod in Dei gloriam erat faciendum, iuuit Christus ad se refocillandum, docens, vt ante omnia studeamus perficere ea, quæ sunt præcipua, & in Dei honorem maximè cedunt.

Iudæi, qui erant cum ea, & consolabantur eam. Nil tale de Martha scribitur; Rupertus lib. 10. in Ioan. Quando Martha surrexit, vt Domino occurreret, non fuit secuti Iudæi; quando verò Maria exiit vocante Martha, non vocantem Martham, sed solam Mariam sunt secuti, dicentes: quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi, cur hoc? Nisi quia Maria tenero magis affectu fratrem diligebat, & plus diligens, amplius dolebat. Non ergo mirum, quod accedente gratia Spiritus sancti, & cum hac naturali pietate superno munere conuincto, Dominum Iesum tanto amore dilexit, quem plorans ad monumentum prima omnium mortalium videre, & Apostolis æternam consolationem nuntiare digna exiit. Naturali suauitati, ac teneritudini Magdalenz erga fratrem Dei gratia accessit, & inde iuuauitas illa Dei munere eleuata, tantorum donorum fecit mulierem capax, vt Iesum ardentissimè diligens, resurrectionem eius prima post Virginem Mariam videre meruit. Secuti sunt eam. Dei prouidentia. Euthymius, Facti sunt testes miraculi, etiam non adfuerunt, dicebant Iudæi: Vadit ad monumentum. Ecce quomodo fallitur humana cogitatio, illa non ad domum mortis, sed ad fontem vitæ ibat; vt ploret ibi. Fletibus indulgens. D. Augustinus tract. 49. Ut doloris sui solatium lacrymis quaerat.

QUESTIO XII.

Quare Martha modò vocat Mariam, & non antea?

IO 8.

Ratio diffcultatis.

Pro Christo, in quo sunt omnia, contemenda.

IO 9. Basil. Seleuc.

Iustus sibi soli vult tristitia, alijs incedenda.

VM Martha primò audisset Christi aduentum, Occurrit illi; Maria autem domi sedebat. Postquam verò cum Christo loquitur, & à quo resurrectionis fratris bonam spem accepit. Abiit, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. Illa autem vt audiuit, surgit citò, & venit ad eum. Cur ergo quando Martha prima vice audiuit Iesum venisse, non vocat sororem, nec verbum de Christi aduentu cum illa loquitur: postea verò sororem vocat, & cum illa venit ad Iesum? Cur quæ sola primò venit ad Iesum sola sine illa, postea nõ vult manere sola? Respondet primò. D. Basil. Seleuc. orat. 40. Cur verò, ait, sororem non assumit, in occursum Christi itura? Vult enim seorsum nancisci, quodq; venerat renuntiare. Vbi autem eas in spes meliores induxit Christus, tunc abiit Martha, & vocat Mariam, & occurrit Christo. Cum Martha primo instanti occurrat, tristitia, & dura ab eo putabat audienda, fratris nempe mortem in flore iuuentutis suæ, & illius absentiam, earumque vrbauitatem. At verò cum postea pignus resurrectionis ex ore Domini accepit, resurget frater tuus, tunc indilate sororem vocat. Bona Christi discipula, quæ tristitia erant, sibi soli assumit, & ab eis vult sororem liberam esse. At postmodum, cum magnam spem de fratris resurrectione accepit, non valet sibi tantam felicitatem retinere, sed statim vocat sororem, vt tantum bonum illi communicetur, illiusque participes fiat.

Sylueira in Euang. Tom. IV.

IO 10. Chrysol.

Vita, & salus cunctis per Mariam communicatur. Cant. 7.

Bernard.

IO 11. Cant. 2.

Psal. 231.

Per Mariam ad nos dona veniant.

Prou. 8.

Hefych.

IO 12. Cant. 1. Cant. 4.

Damian.

QUESTIO XIII.

Quare Martha aduocat Magdalenam ad Christum, cum olim eam voluerit reuocare ab eius pedibus?

VM olim Martha Dominum excepisset hospicio, & soror eius Maria contemplationi dedita ad Domini pedes foderet, ab illis eam intendit Martha reuocare, dicens: Domine non est tibi

IO 13.

Ratio diffcultatis.

Luc. 10.

KKK